

BX1751

D3
v.2

1897



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

DE ECCLESIA

PARS SECUNDA

DE CONSTITUTIONE ECCLESIAE ROMANAE

235. Demonstrata semel divina Ecclesiae Romanae institutione, ejusdem perscrutanda est constitutio, quae, cum tota a Christi voluntate pendeat, sola Christi auctoritate cognoscitur. Quid autem Christus circa Ecclesiae suae constitutionem statuerit, non potest melius accipi quam ex ipsiusmet Romanae Ecclesiae infallibili magisterio.

Ad quod assequendum : disseremus primo de partibus quibus, jure divino positivo, Ecclesia Romana constituitur ; secundo investiganda erit potestas rectoribus Ecclesiae a Christo attributa ; et, quia potestatis ecclesiasticae plenitudo reperitur penes Romanum pontificem, hinc tertio de illo speciatim agendum erit ; non quidem ut ejus primatus demonstretur, cum jam diu id praestaverimus, sed ut penitus introspectiatur.

DISSERTATIO PRIMA

DE PARTIBUS QUIBUS, EX DIVINO JURE, ECCLESIA ROMANA CONSTITUITUR.

236. Primum igitur expendendae sunt partes quibus, ex divino jure, constituitur Ecclesia Romana. Ad quod dicendum est de ejus corpore et anima, et prae-

sertim de corporis Ecclesiae membris. Sed inter Ecclesiae membra adest, jure divino, inaequalitas ratione cujus alia aliis praeficiuntur. Circa quam inaequalitatem nonnulli sunt errores confutandi, dicendo quibus personis, juxta Christi institutionem, competat auctoritas ecclesiastica. Hinc quaeruntur novem.

QUAESTIO I^a.

An et quatenus Ecclesia Romana constituitur ex corpore et anima inter se junctis?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 407... 421. — Hurter : *Theol. gen.*, n. 324... 347. — Perriot : *de Eccl.*, p. 335... 351.)

237. Dico 1^o : *Ecclesia est ad instar individui humani, corpore et anima constantis.*

Sicut individuum humanum duplici parte constituitur : una visibili, quae rationem habet materiae et est corpus, altera invisibili, quae rationem habet formae et est anima ; sic Ecclesia, quae est vera persona moralis, constat et ipsa duplici elemento : uno visibili quasi vices materiae gerente, quod vocatur Ecclesiae corpus ; altero sensibus impervio vices formae gerente, quod dicitur Ecclesiae anima.

Corpus igitur Ecclesiae est collectio eorum omnium, qui externis relationibus suis coalescunt in societatem visibilem a Christo fundatam. Actiones autem quibus praedictae instituuntur relationes, sunt praesertim exercitium auctoritatis ecclesiasticae, praedicatio, administratio Sacramentorum, ritus et caeremoniae, necnon ipsa exterior interiorum donorum manifestatio.

Anima Ecclesiae est id quo ad esse corporis viventis determinatur ; et quia Ecclesia vivit vita supernaturali, et haec vita consistit in gratia sanctificante, hinc anima Ecclesiae formaliter et primario est gratia sanctificans ; ad quam animam referuntur ea omnia subsidia spiritualia, quae huic gratiae producendae, conservandae ac augendae inserviunt. Ergo ad animam Ecclesiae pertinent fides, spes, charitas, virtutes morales infusae, dona Spiritus sancti, gratiae actuales, gratiae gratis datae, ac ipsamet potestas ordinis et jurisdictionis, de qua infra, quia haec duplex potestas confert Ecclesiae activitatem et energiam spiritualem qua, tum sua membra docet, regit, promovet ad vitam aeternam, tum extraneos vocat, instruit, convertit, ut ipsi incorporentur.

238. Dico 2^o : *Mutuum datur inter Ecclesiae corpus et animam commercium.*

Etenim, 1^o ex una parte, corpus agit ad producendam, tuendam et perficiendam animam Ecclesiae, videlicet : per divini verbi praedicationem, per exterioriorem cultum, per Sacramenta, per auctoritatis exercitium ; nam haec omnia pertinent ad Ecclesiae corpus, et ad homines anima Ecclesiae informandos plurimum juvant.

2^o Ex altera parte, anima Ecclesiae agit in corpus : tum ad ejus conservationem ; quia nisi essent homines Dei charitate flagrantes, vix invenirentur qui Ecclesiam propagarent, et qui spiritualem animarum curam gererent ; tum ad operandi facilitatem, quia aegre sanctitatis opera exterius se proderent, si fideles sub peccati jugo aut spirituali torpore detinerentur ; tum ad operis efficaciam, quia, licet haec efficacia a

meritis Christi repetenda sit, a fervore etiam spiritus suam accipit mensuram.

239. Dico 3^o : *Ex dictis, facile cognoscitur quinam pertineant ad animam Ecclesiae.*

1^o Perfecte ad Ecclesiae animam pertinent omnes et soli justi, siquidem haec anima in gratia sanctificante formaliter et primario consistit.

2^o Inter eos qui gratia sanctificante destituuntur, aliquo sensu sed modo imperfecto, ad animam Ecclesiae pertinent qui fidem internam retinuerunt, quia haec fides est in ipsis radix operationum supernaturalium; item qui potestate ordinis aut jurisdictionis gaudent, cujus exercitium Ecclesiam spiritualiter vivificat.

Praedestinati autem non sunt necessario de anima Ecclesiae, quia non repugnat multos hic et nunc amicitia divina carentes, postea inter Beatos computandos fore; sicuti nec est impossibile multos hic et nunc justos, in statu peccati mortalis decessuros esse.

240. Dico 4^o : *Patet etiam, ex dictis, corpus et animam Ecclesiae eandem extensionem non habere.*

Etenim, nec anima Ecclesiae omnia ejus corporis membra informat, siquidem non informat peccatores, qui possunt esse membra corporis Ecclesiae; nec coarctatur intra praedicti corporis limites, siquidem dari potest causa excusans a praecepto ingrediendi corpus Ecclesiae, et qui sic excusantur, nonnunquam justificationem obtinent.

QUAESTIO II^a

Quinam inter corporis Ecclesiae membra computentur?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 590, 623; — Brugère : *de Eccl.*, n. 89.)

241. Resp. Illa quaestio non habet unam solutionem apud theologos, eo quod non eodem sensu ab illis accipitur.

1^o **Sensus esse potest :** *Quinam subjiciantur influxui imperativo Capitis Ecclesiae?*

Hoc sensu, certum est omnes et solos baptizatos esse Ecclesiae membra.

Omnes quidem : Christus enim, data Apostolis potestate baptizandi, statim addit : *docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*. Ergo Ecclesia jus habet semel baptizatos ad vitam christianam informandi. Insuper, concilium Florentinum, in suo decreto pro Armenis, sic de baptismo loquitur : « Per ipsum... membra Christi, ac de corpore efficimur « Ecclesiae. »

Soli. Nam ex verbis concilii Florentini aperte deducitur baptismum esse Ecclesiae januam; quibus accedunt verba concilii Tridentini (Sess. xiv, c. 2), quod, indicans cur minister Baptismi iudicis munere non fungatur, hanc rationem affert : « Cum Ecclesia « in neminem iudicium exerceat, qui non prius in « ipsam, per Baptismi januam, fuerit ingressus. »

Unde omnes baptizati, licet pertineant ad alias sectas, legibus Ecclesiae subjiciuntur, nisi aliqua pro eis concedatur exceptio.

242. 2^o Sensus quaestionis esse potest : *Quinam*

sint Ecclesiae membra, eo modo qui requiritur et sufficit ad implendum praeceptum adhaerendi verae Ecclesiae?

Et dicendum ad hoc requiri et sufficere, ut aliquis externe et realiter servet vincula socialia, quibus Christus voluit suae religionis sectatores inter se colligari in unam societatem visibilem. Quae vincula non externe tantum, seu in hominum aestimatione, sed realiter et coram Deo existere debent. Non enim per externam et putativam, bene vero per veram et sinceram adhaesionem satisfit praecepto verae Ecclesiae adhaerendi.

Hinc 1^o, quia primum vinculum sociale est ejusdem fidei professio, a corpore Ecclesiae, juxta praefatum sensum, excluduntur haeretici quicumque, seu qui sive exterius, sive interius, pertinaciter assensum denegant alicui articulo ab Ecclesia, tanquam de fide divina, definito. Et sic explicatur cur Pius IX, in bulla *Ineffabilis*, post definitam Immaculatam Conceptionem Deiparae, ita concludat: « Quapropter, si qui, secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant se... ab unitate Ecclesiae defecisse. »

Hinc 2^o, quia secundum vinculum sociale inter Catholicos, est se profiteri subjectum auctoritati legitimorum pastorum, ac praesertim Romani Pontificis, a corpore Ecclesiae, juxta praefatum sensum, excluduntur omnes schismatici, etiam occulti ac mere interni.

Hinc 3^o, quia tertium vinculum sociale inter Catholicos, est jus baptismo fundatum recipiendi Sacramenta, et fruendi suffragiis communibus Ecclesiae, ab ejus corpore, juxta praefatum sensum, excluduntur: 1^o om-

nes nondum baptizati, etiamsi fidem haberent; 2^o omnes excommunicati, seu ii qui hoc jure spoliati fuerint per sententiam eos ab unitate corporis Ecclesiae separantem, etiamsi forent occulti.

243. 3^o Sensus quaestionis esse potest: *Quinam sint corporis Ecclesiae membra, juxta moralem hominum aestimationem?*

Et dicendum ad hoc requiri et sufficere ut tria vincula socialia, de quibus modo, externe et quoad apparentiam subsistant, quamvis interne et coram Deo disrupta fuerint. Et revera, moralis hominum aestimatio circa perseverantem membrorum alicujus corporis moralis consociationem, a dispositione occulta pendere nequit; secus, jam certo non cognoscerentur societatis membra, et inde nutarent mutua sociorum jura atque officia, et exercitium auctoritatis socialis impossibile redderetur.

Hinc, juxta praedictum sensum, omnes baptizati sunt Ecclesiae corporis membra, modo non sint notorie haeretici, aut schismatici, aut excommunicati.

244. 4^o Sensus quaestionis esse potest: *Quinam juribus ac privilegiis membrorum Ecclesiae plene participant?*

Et dicendum illos omnes qui semel triplici vinculo supra dicto cum Ecclesia externe ac visibiliter conjuncti sunt, jam omnibus socialibus emolumentis Ecclesiae propriis gaudere, donec his per sententiam legitimi superioris privati fuerint.

Hinc illi qui, semel Ecclesiae aggregati, in haeresim aut schisma lapsi sunt, sed excommunicationi non subjacent propter censurae ignorantiam, retinent jura et privilegia socialia antea habita.

Insuper, non omnis sententia superioris ecclesiastici, seu, non omnis censura aequaliter privat bonis spiritualibus communibus; imo notare juvat, ipsosmet excommunicatos aliquando socialibus emolumentis non privari, nisi quatenus sibi utilibus, et retinere facultatem functiones sacras in aliorum commodum valide exercendi; tunc dicuntur *tolerati*; sed de his vide Canonistas.

245. 5° Sensus quaestionis esse potest: *Quid requiratur et sufficiat ut aliquis sit Ecclesiae membrum, ad proprias corporis ecclesiastici operationes exercendas habitualiter aptum?*

Et dicendum requiri ad minus fidem habitualem. Est enim fides habitualis radix omnium operationum supernaturalium; unde, ea deficiente, conjunctio illa externa, quae fit per triplex vinculum sociale supra memoratum, haud sufficeret ut quis membrum Ecclesiae activum constitueretur. Sane, membra alicujus corporis activa, non ea proprie dicuntur quae inter se uniuntur materialiter, sed quae animantur aliquo vitali principio per quod, aliquatenus saltem, de anima participant, et capitis aliquem influxum habitualement recipiunt. Ergo Ecclesiae membra activa debent habituali fide, veluti principio ordinis spiritualis, informari.

An autem id sufficiat? Afirmat Suarezius, quia per fidem habitualement, etiamsi caetera desint, homo Capiti Christo permanenter conjungitur, et ab eo vivificatur imperfecte saltem. Unde, juxta praefatum sensum, a corpore Ecclesiae excluderentur omnes et soli haeretici, etiam mere interni. At inter membra Ecclesiae computandi essent excommunicati, necnon schisma-

tici, quantumvis notorii, sed fidem retinentes; item catechumeni; quinimo etiam ii qui exterius fidem catholicam non profiterentur, modo interne crederent; quia sic peccando contra praeceptum profitendi fidem, habitum tamen supernaturalem fidei servant, juxta communem sententiam theologorum.

Haec sententia Suarezii satis communiter rejicitur. Ex hac enim sequeretur, deficiente omni vinculo externo, per solum fidei habitum internum constitui Ecclesiae corporis membra. Atqui, repugnare videtur corpus visibile per invisibilem membrorum connexionem constitui. Requiritur ergo, praeter fidei habitum, tria vincula socialia de quibus modo; secus, deesset unio cum Christo, tanquam Ecclesiae Capite.

QUAESTIO III^a

Quomodo a Catholicis intelligatur inaequalitas inter varia corporis Ecclesiae membra.

(Vide Mazella: *de Rel. et Eccl.*, n. 509... 516; — Perriot: *de Eccl.*, p. 177... 183; — Brugère: *de Eccl.*, n. 31, 32.)

246. Resp. Doctrina catholica, circa membrorum Ecclesiae inaequalitatem, refertur 1° ad distinctionem clericorum et laicorum, 2° ad ordinem hierarchicum inter clericos, 3° ad diversos gradus in ordine hierarchico.

I. De clericorum et laicorum discrimine.

Totum Ecclesiae corpus in duas classes distinguitur: clericorum et laicorum. *Clerici* dicuntur, qui divino

cultui specialiter consecrati, religionis procurandae ac rerum sacrarum, Deo ipso jubente, providentiam et sollicitudinem susceperunt. Nominantur a voce graeca *Kleros*, quae sortem sive haereditatem significat; quia sunt peculiaris Domini haereditas, aut potius quia Deus peculiaris hereditas illorum est. — Laici, sic dicti a voce graeca *laos*, latine *plebs*, sunt quasi plebei, illi, scilicet, quibus nulla functionum sacrarum, nec auctoritatis ecclesiasticae pars demandata est.

Quae distinctio a jure divino inducta est, non tantum quia Christus voluit adesse in Ecclesia sua clericos et laicos, sed etiam quia ipsemet elegit et instituit peculiarem coetum, cui soli commisit potestatem ecclesiasticam modo prorsus independenti a caeteris fidelibus, ita ut simplices fideles, nec illam possint exercere, nec aliis exercendam communicare.

II. De ordine hierarchico inter clericos.

247. I. Potestas ecclesiastica non ab omnibus clericis in eodem gradu possidetur. Existit itaque inter eos inaequalitas ac subordinatio, vi cuius alii aliis subjiuntur, seu datur *hierarchia*.

Hierarchia, quoad nomen, idem sonat ac principatus sacer (graece: *ieros*, *arche*). Quoad rem, sumitur modo *subjective*, pro coetu quodam praesidum et ministrorum variorum, in quibus inaequaliter residet potestas ecclesiastica; modo *objective*, pro inaequalitate potestatis, et subordinatione inter clericos, quae ex hac inaequalitate procedit.

II. Totuplex esse debet hierarchia, quotuplex est ecclesiastica potestas sic inaequaliter habita. Jam vero, ecclesiastica potestas ad duplicem generatim reduci-

tur: ordinis et jurisdictionis; et ideo hierarchia, alia est ordinis, alia jurisdictionis.

Hierarchia *ordinis* ex inaequalitate in potestate ordinis oritur. Potestas autem ordinis est facultas peragendi ex officio ritus sacros, vel in illis peragendis ex officio ministrandi. Ritus sacri sunt praesertim Sacrificii oblatio, ministratio Sacramentorum, variaeque benedictiones.

Hierarchia *jurisdictionis* ex inaequalitate in potestate jurisdictionis oritur. Potestas autem jurisdictionis est potestas Christianos, in rebus quae directe ad bonum spirituale referuntur, regendi; sive quoad intellectum, docendo; sive quoad voluntatem, impediendo; et ideo continet jus magisterii et jus imperii.

III. Duplex praedicta potestas est juris divini, et inter utramque multiplex observatur discrimen, tum ex parte objecti, tum ex parte subjecti et collationis, tum ex parte effectuum.

a) Differunt *objecto*. Potestas ordinis spectat confectionem rituum sacrorum; potestas jurisdictionis spectat regimen Ecclesiae, quod exercetur aut magisterio aut imperio.

b) Differunt *subjecto et collatione*. Illi soli potestatem ordinis participant, qui hierarchiae fuerunt coaptati per sacram ordinationem; dum potestas jurisdictionalis confertur per missionem a superiore legitimo acceptam; unde quandoque competit eis qui non habent ordinem, imo dari potest a S. Pontifice ipsismet laicis.

c) Differunt *effectibus*. Potestas ordinis, utpote profluens a sacramentali caractere, eadem omnino est in iis omnibus qui sunt in eodem hierarchiae gradu ordinati, nec ejus exercitium ullo modo suspendi vel

restringi potest, quoad validitatem actuum, etiamsi illam exercens foret apostata, haereticus, excommunicatus, etc... E contra, potestas jurisdictionis, cum oriatur a missione, per quam assignantur subditi in quos exerceatur, bene potest esse major aut minor, etiam pro constitutis in eodem hierarchiae gradu, secundum quod plures vel pauciores assignantur subditi; potest etiam in suo objecto restringi, et imo prorsus auferri per missionis revocationem.

IV. Duae tamen illae potestates intimius ad invicem referuntur, sic:

a) Jurisdictio refertur ad ordinem, quia regulariter non residet nisi in personis sacra ordinatione initiatis. Ea est quippe divinae Providentiae oeconomia, ut christianus populus per eosdem edoceatur atque regatur, a quibus Sacramenta recipit. Quod si aliquando jurisdictio conferatur nondum ordinatis, id fit per accidens et extraordinarie.

b) Ordo refertur ad jurisdictionem, quatenus dat aptitudinem ad illam, et simul confert gratiam ad sancte et fructuose ministerium obeundum.

V. Hinc patet hierarchiam in genere, prout utramque ordinis et jurisdictionis complectitur, legitime definiri: *Coetus, seu ordo praesidium et sacrorum ministrorum, ad regendam Ecclesiam, gignendamque in hominibus sanctitatem divinitus institutus*. Et quicumque ad hanc hierarchiam aliquo modo pertinent, dicuntur *clerici*.

III. De gradibus in ordine hierarchico.

248. I. In hierarchia ordinis, tres saltem sunt, jure divino, gradus, scilicet: episcoporum, presbyterorum

et ministrorum, juxta definitionem concilii Tridentini (Sess. XXIII, can. 6): « Si quis dixerit in Ecclesia « catholica non esse hierarchiam divina ordinatione « institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris « et ministris; anathema sit. » Ministrorum nomine ibidem intelliguntur ad minus diaconi. Utrum vero ordines inferiores, nempe, subdiaconatus, acolythatus, exorcizatus, lectoratus, ostiariatus, necnon prima tonsura, sint institutionis divinae, an ecclesiasticae? Disputant theologi et canonistae; ad hos remittimus.

II. In hierarchia jurisdictionis, tres sunt etiam gradus: supremus Pontificatus, Episcopatus, et status clericalis inferior.

Primus gradus illi competit, qui universae praesidet Ecclesiae, cum plena et suprema potestate immediate a Deo accepta, et ideo est juris divini.

Secundus gradus singulis illis competit, qui certis dioecesibus regendis praeficiuntur, cum jurisdictione ordinaria etiam in foro externo. Est autem illa jurisdictio episcopalis, si in genere spectetur, ex divina institutione, quamvis singuli episcopi, juxta communem sententiam infra explanandam, suam a Papa immediate recipiant jurisdictionem. At non ideo gradus ille vocatur episcopatus, quod essentialiter solis caractere episcopali insignitis conveniat; sed quia optime congruit ut regendae dioecesi praefectus accipiat ordinationem episcopalem, et praecepto ecclesiastico intra tres menses hanc tenetur accipere.

Tertius gradus est omnium aliorum qui clericali militiae adscripti sunt, et aliquam partem in regimine ecclesiastico habent. Infra vidobimus illorum jurisdic-

tionem nullatenus esse juris divini, totamque ab episcoporum aut Papae voluntate oriri.

Hierarchia itaque jurisdictionis, alia est juris divini, alia juris ecclesiastici. In praesenti tractatu de sola agitur jurisdictionis hierarchia.

Denique, ad clericaturam aliquatenus accedit *status religiosus*, cujus institutor Christus ipse est, ideoque et perpetuo in Ecclesia est futurus; de quo pauca subjungenda erunt.

QUAESTIO IV^a

Quomodo membrorum Ecclesiae inaequalitas ab heterodoxis intelligatur?

(Vide Mazella : *de Relig. et Eccl.*, n. 517... 521. — Perriot : *de Ecc.*, p. 309, 310, 311. — Brugere : *de Eccl.*, n. 33, 34.)

249. Resp. Errores circa hanc inaequalitatem ad triplicem classem reduci queunt : 1^a quae laedit subordinationem laicorum erga clericos; — 2^a quae laedit subordinationem clericorum erga episcopos; — 3^a quae laedit subordinationem episcoporum erga supremum Pontificem. Qui omnes, ut patet, divinitus institutam a Christo hierarchiam aut negant aut deprimunt.

I. De erroribus qui praejudicant subordinationi laicorum erga clericos.

250. I^{us} error est Marsilii, cognomento Paduani, qui, ineunte saeculo XIV, Ludovico Bavario blandiri cupiens, librum edidit cui titulus : *Defensor pacis*, in quo sequentia docet :

1^o Omnia jura publicae auctoritatis, tum in temporalibus tum in spiritualibus, penes communitatem sunt, et quidem jure ipso naturae. Unde solus populus christianus jurisdictionem ecclesiasticam uti propriam possidet.

2^o Hanc jurisdictionem populus principi temporali committit, et princeps episcopis pro libitu suo. At ubi princeps est infidelis, populus hanc immediate confert pontificibus; qui tamen semper, in ea exercenda, subjiciuntur tum populo, utpote fonti omnis auctoritatis, tum principibus ipsis, cum, etiamsi a jurisdictione spirituali exercenda ob infidelitatem arceantur, retinent tamen suam praeeminentiam.

3^o De caetero, haec episcoporum auctoritas non est propria jurisdictio, quia tota in concionando, monendo, consulendo, non in ligando et cogendo, consistit. Remanet tamen in episcopo potestas ordinis cum consecratione accepta.

4^o Nulla est, jure divino, differentia inter eos qui sacerdotio initiantur. Ergo discrimen quo secernuntur presbyteri, episcopi, archiepiscopi, imo et summus Pontifex, totum oritur a principe, qui hanc revocare potest. Hinc, neque Papa, neque ipsum concilium oecumenicum possunt infligere poenas, nisi consentiente Imperatore.

Anno 1327, Joannes XXII, summus Pontifex, has propositiones damnavit ut erroneas, scandalosas et haereticas.

251. II^{us} error est Protestantium plerorumque sequentia docentium :

1^o Nulla est, ex Christi institutione, distinctio inter clericos et laicos, et multo minus existit hierarchia

divinitus instituta inter clericos, nec quoad ordinem, nec quoad jurisdictionem. Unde potestatis ecclesiasticae plenitudo in populo christiano residet, et unusquisque fidelis, vi baptismi, est sacerdos.

2° Attamen, ut aliquis christianus munia sacerdotalia tum licite tum valide exerceat, necesse est ut a plebe deputetur; quae deputatio fieri potest principi fideli, cujus tunc erit ministros constituere.

3° Electio ergo a populo, vel a principe persona populi gerente, absolute requiritur ad sacri ministerii exercitium; imo, cum auctoritas plebis sit inamissibilis, delegatio semel data semper, valide saltem, revocari potest.

4° Haec delegatio fit per quamdam caeremonialem inaugurationem, non vero per Sacramentum Ordinis; et confert plus minusve auctoritatis, pro majori vel minori gradu in quo delegatos collocat. Omnes dicuntur *ministri*, inter quos alii nomen *episcoporum*, alii *praesidentium*, aut alios titulos obtinent.

252. III^{us} error est Edmundi Richerii, anno 1560 nati. Qui, cum esset facultatis theologiae Parisiensis syndicus, in suo libro *de ecclesiastica et politica potestate*, hos errores professus est:

1° Omnis perfecta communitas jus habet impraescriptibile semetipsam regendi; a quo jure profluunt omnes praerogativae rectorum qui, quocumque titulo, societati civili aut religiosae praesunt.

2° Hinc, in societate christiana, Christus claves, seu jurisdictionem, universali Ecclesiae prius contulit quam Petro et Apostolis.

3° Ecclesia, juxta Christi voluntatem, jurisdictionem communicat Pontifici Romano, episcopis et presby-

teris; Papae, uti successori B. Petri; episcopis, ut successoribus Apostolorum; presbyteris, ut discipulorum successoribus; et hi omnes in diverso gradu regimen obtinent.

4° Varii pastores non habent jurisdictionem nisi instrumentaliter, ministerialiter et quoad executionem; sunt ecclesiasticae communitatis mandatarii tantum, et eorum leges non obligant, nisi a populo approbatae et acceptae. Imo Papa, cum sit caput Ecclesiae ministeriale et accessorium, potest ab Ecclesia repudiari, saltem ad tempus, quin periclitetur societas christiana.

5° Attamen, praefata respiciunt solam hierarchiam jurisdictionis; nam facultas functiones sacras peragendi, non cunctis baptizatis, sed solis legitime ordinatis competit.

Richer damnatus est a variis conciliis in Gallia, a Sorbonna et a S. Sede. Seipsum non solum retraxit, sed et strenue confutavit in alio opere. Illius tamen errores amplexi sunt Jansenistae et synodus Pistoriensis. Sic inter Quesnellianas propositiones, haec damnata fuit: « Potestas a Deo data est Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus « ministri pro salute animarum. » Sic etiam in bulla *Auctorem fidei*, duae illae synodi Pistoriensis propositiones tanquam haereticae damnatae sunt: « A « communitate fidelium in pastores derivatur ecclesiastici ministerii et regiminis potestas. » — « Romanus Pontifex est caput ministeriale, id est, non « a Christo in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiens. »

Hodie, tempore concilii Vaticani, sub influxu prin-

cipiorum democraticorum passim serpentium, ille error aliquatenus revixisse videtur; dum Doellinger et quidam alii asserere ausi sunt, episcopos esse ovium suarum mandatarios, quorum sententia non valet nisi ex earum numero. (Vide *Moniteur universel*, 16 Mars 1870, et *le Français*, 10 Mars 1870.)

253. IV^{us} error est eorum, qui jus circa res sacras indebitum tribuunt principibus saecularibus, non tantum quatenus a fidelium communitate delegatis, ut Marsilius Paduanus et Protestantes, sed jure etiam divino.

1° Inter primos Anglicanismi patronos, nonnulli contendebant ecclesiasticam potestatem, quoad magisterium et imperium, immediate et directe, non autem per multitudinem, principibus a Christo fuisse concessam, ut eam exinde, pro libitu, specialibus ministris exercendam committerent. Quidam vero usque eo progressi sunt, ut affirmarent ipsos Apostolos nullam jure divino auctoritatem, absolute saltem ac definitive habuisse, sed hanc provisorie exercuisse, donec alicui principi saeculari tradi posset; ita famosus Cranmer. Fatebantur tamen potestatem functiones sacras obeundi, solis clericis ordinatis reservandam esse. Hi omnes proprie vocantur *Caesaristae*.

2° Ad Caesarismum practice accedunt Anglicani recentiores, qui se in spiritualibus a rege aut regina gubernari patiuntur; item Russi, qui alium Ecclesiae suae, quam orthodoxam vocant, rectorem non agnoscunt praeter Russiae imperatorem, per *sanctam Synodum*, ut aiunt, omnia moderantem.

3° Quidam Gallicani, *Regalistae* dicti, potestatem

principis ad res ecclesiasticas externas coarctant quidem, sed illam deducunt, aut ex natura auctoritatis temporalis, aut ex jure tuendi canones quod volunt principibus christianis necessario competere. De quibus infra, ubi de juribus Ecclesiae regentis.

II. De erroribus qui praejudicant subordinationi clericorum erga episcopos.

254. I^{us} error est eorum qui pure et simpliciter negant episcopos esse presbyteris superiores.

1° Aerius, monachus Arianus, cum episcopatum Sebastae in Armenia obtinere non potuisset, anno 355, ex invidia et dolore contendit episcopatum non esse ordinem a sacerdotio diversum, nihilque competere episcopo quod presbytero non conveniat.

2° Wiclefus, professor in Oxfordiensi universitate, seculo XIV, duos tantum in hierarchia ecclesiastica agnoscit gradus, diaconatum, nempe, ac presbyteratum. Auctoritas vero episcopalis, juxta ipsum, est mera usurpatio; nec enim Papa nec episcopi ordinem revera conferre queunt, sed solus Christus; et quisquis bonae conscientiae testimonium obtinet, jam certus fit se a Christo ordinatum et missum, et nullatenus Papae aut episcopi licentia ad praedicandum indiget.

3° Calvinistae rigidi, qui *Presbyteriani* vocantur, affirmant quoscumque sacerdotes aut ministros aequali frui auctoritate, et ideo episcopos non praeesse presbyteris; ex quo concludunt, Ecclesiam regendam esse per coetus consistoriales ex ministris conflatos.

255. II^{us} error est eorum qui, licet confiteantur episcopos esse jure divino presbyteris superiores, ad-